



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 142. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis. v. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

cat. Certè malum magnum est tristitia nimia & inordinata. quo enim non adegit Iudam!

**D**Eus meus ad te clamo, ne ita unquam affligar aut contrister, ut desperem, aut nullam admittere velim consolationem, neue dæmon cor meum ita possideat, ut velim mihi manus violentas inferre, sed in omni tribulatione & angustia succurre misero mihi peccatori, ut nunquam desperem propter gloriam nominis tui.

§. 141. *Et laqueo se suspendit. v. 5.*

Ecce finis miserabilis peccatoris. Ecce finem. quid iam tibi profuere argenteis? quid cupiditas? quid omnia? O quam periculosum est pœnitentiam differre: & nolle audire Deum monentem? Horresco. Sed. Quid mirum si spiritu oris sui interclusi vitam perdidit proditor, qui spiritum oris sui, Christum, in captiuitatem vendidit, & quia per desperationem exclusit spiritum sanctum ex se, ita laqueus collo interiectus, inclusit spiritum eius in ipso ut deficeret in se ipso. Cum ergo ea sit cupiditatis improbitas & Tyrannis sollicitè & caute agere oportet eos, qui aliquem ei locum partemue in se dare sciunt, vel constituerunt, ne si angulum ei dederint, totam domum sibi vendicet. Spectent obsecro omnes cupidi hoc exemplum & tragediam sæculorum omnium maximam admittentur. Quoniam autem omnes qui lethale peccatum admittunt, Christum velut hostibus suis tradunt, sollicitè pensandum est, quantæ sit amentia ob terræ particulam, cœli terræque regem & conditorem à se abdicare, & quantum in eo est quid facit, Iudæis crucifigendum rursus addicere, ita discemus caute agere, ne maculemus corda nostra lethalibus criminibus, & impœnitentes desperemus cum proditore, & æternum cum ipso damnemur.

**H**orrescit animus ad exemplum Iudæ, Domine Deus meus, & timeo mihi ob nimia mea peccata ne & ego excludero à me spiritum sanctum & deueniam in desperationem, ideo iam supplex procido ad pedes largitatis tuæ, ut peccata dimittas, veniamque largiaris nec in futurum punienda referues, clamans iugiter humiliato corde & cōtritione aio: *Miserere, miserere Domine miserrimo peccatori*, indigna agenti & assidue peccanti, non facias mihi secundum peccata mea, quibus iram tuam commerui, sed secundum magnam misericordiam tuam, quæ superaretiam peccata totius mundi. *miserere mei, Domine, miserere mei* & adiuua me sicut nosti quod mihi est necesse in corpore & in anima, scis enim omnia & potes omnia melius, quam ego dicere possim.

§. 142. *Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis. v. 6.*

Cum proditor ductus misera pœnitentia non bona, proiecisset in

tem-

templum pecunias male acquisitas, coram Deo & hominibus contestatus: innocentem sanguinem à se traditum, emptum vero ab ipsis principibus Sacerdotum ad occisionem, tunc etiam à propria conscientia condemnati principes aliquid memorabile gesserunt ad gloriam Christi. nam receperunt ad se eas pecunias factique sunt socij faris & latronis. & quid fecerunt? accipiendo eas suum scelus abscondere voluerunt. & maledictam pecuniam, quam maxime ab hominum oculis amouere & memoriam confessionis Iudæ opprimere: sed nihil profecerunt, defecerunt scrutando scrutationes malas. Noluerunt in templi usum convertere, sed extra urbem amandare, ut longe ab eis esset occasio te memorandi confessionem, bonam Christo, sibi malam, & pro hoc falsum prætextum quaesierunt:

**D**omine si contingat, quod auertat tua bonitas, me in enorme crimen labi, & constet, ita ut excusare non possim, non addam oro peccatum peccato, mentiando, ut palliare velim, ne te magis offendam sed cum David, Theodosio &c. contrito corde agnoscam culpam & insipientiam meam, veniamque à te, & proximo laeso petam humiliter, & si opus fuerit pro charitate Dei, & confessione mei, de dato scandalo publice pœnitentiam agam & culpam confitear: melius enim est incidere in manus hominum, quam Dei viuientis & videntis, & præstat hic rubore perfundi, quam postea in sempiternum confundi.

*ſ. 143. Et dixerunt non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. v. 6.*

Quare, ô Principes, non licet eam pecuniam reponere in corbonam, aut gazophylacium, ut ad pios vsus & sacrificia applicetur in remissionem peccatorum vestrorum? Audio, quia pretium sanguinis est, sed quid est hoc pretium sanguinis est. Vel iniquum & tunc vos reos facitis, vel æquum, cur igitur eam Deo non offertis. Vel potius relinquitis, quando Dominus eius eam templo obrulit atendo culpam & quodam modo satisfaciendo, nescio quid dicam? O Hypocritæ vos vultis &c. vestram culpam abscondere & palliare, ideo dicitis, non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est, ut appareatis hominibus religionis valde studiosi, & tamen non erubescitis nec religioni ducitis sanguinem justum condemnare, & quidem in summæ festiuitatis Parasceue. Timetis pretio sanguinis polluere ærarium templi, & non timetis sanguine Christi polluere animas vestras. Proh! quam radicata est iniquitas vestra, ut videntes non videatis & intelligentes non intelligatis. Quomodo gratia diuina apud vos locum habere potest?

Ad